



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

Vastovius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.

Matthias C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38534

MATTHIAS S. THEOLOG.
DOCTOR FLORUIT AN-
NO CHRISTI 1350.

CLEMENTE VI. Pontifice.

CAROLO IV. Rege Rom.

ERICO XII. Rege.



B. Matthias S.
Theologiae lau-
rea donatus.

Lincopensis
Canonicus.
S. Brigittæ a
confessionibus.
Eiusdem & fi-
lie S. Cathari-
na in Gram-
maticis & Mu-
sicis institutor.
Spiritu acer.
Benignus in co-
gruitas.
Cessationem a
piis operibus
laqueum ratus
Satanae.

Constitutum a-
cerimum spi-
ritu sustinuit,
quo veritas Ca-
tholica oppu-
gnari visa.
Quibus armis
vicit.

Liber deinceps
tot a vita à Stro-
phis Dæmonū.

ATTHIAS honestis natus parentibus & naturali quadam a-
lacritate donatus præclaris vitæ institutis à teneris assuevit.
Nam postquam domi egregia in humaniori litteratura ie-
cisset fundamenta florentissimas exterorum adijt Acade-
mias breuique tantum profecit vt in Sacra Theologia lau-
ream magna cum laude perceperit. Et cum litterarum scientia præstans
esset cælestis quoque vitæ ac innocentia laudibus floruit. Quamobrem
in patriam redux Lincopensem Canonicatum obtinuit meruitque di-
uinorum arcanorum conscius fieri quæ Deus tum D. Brigittæ reuclauit;
ei quippe à confessionibus fuit, totam eius domum rexit, eamque cum
filia D. Catharina Grammaticam & cantum ex præcepto Christi docu-
it, & in viam virtutum spiritualibus exhortationibus direxit. Erat enim
vir spiritu acer, & non minus opere quam sermone potens, grauitatem
etiam quandam habuit humanitati atque benignitati coniunctam, qua
omnes ad quandam erga se reuerentiam inuitabat, vt nulla ambitio, nul-
la cum priuata gratia vel odium permoueret. In bonis operibus fuit assi-
duus, quorum impedimenta laqueos vocabat Diaboli, & si quando af-
flictationum ingruerat tempestas, sustinuit patienter sciens modicum
atque adeo momentaneum tribulationis æternum gloriæ pondus in cœ-
lis operari solere. Sensit aliquando Matthias acerrimum duorum in se spi-
rituum conflictum falsitatis scilicet & veritatis; videbantur enim illi o-
mnes ab orco hæreses suscitæ ante oculos consistere, vnâ Catholicam
& Apostolicam fidem ac Ecclesiam impugnare, vnoque ore procaciter
effutire; Nos ipsissima lumus veritas. Quo loco illud mox Beato viro in
mentem venit, consueuisse semper Angelum tenebrarum sese in Ange-
lum lucis transformare, vt eo facilius hominem irretitum laqueis tene-
at. Quare non aspectui subiectis fidem habuit figuris, nec ambulauit
in mirabilibus supra se, sed auxilio à Domino qui fecit cælum & ter-
ram implorato tanta gratiæ diuinæ vi & efficacia immixtas suggestio-
nes elusit, vt nullas amplius reliquæ vitæ Dæmonum technas ac fraudes
fuerit expertus.

Ad rem

Ad rem Diuinam in primis erat intentus & cum populo concionaretur in modum torrentis orationem fundebat, Plerumque enim com-
 monendo, sepe suauissimè adhortando, nonnunquam etiam liberè ob-
 iurgando vel castigando leniter aut multorù infirmitatibus condolen-
 do omni prouidus enitebatur statui & negotio subuenire. Cūq; cōmen-
 tarium in vniuersa biblia conficeret, multa verbi Dei arcana mysteria
 præsertim in D. Ioannis Apocalypsi Spiritus sancti instinctu meruit &
 ipse percipere & alijs interpretando explicare; qui quidem commen-
 tarius Diuinis oraculis S. Brigittæ factis approbatus est. Complures et-
 iam reuelationes D. Brigittæ dictante conscripsit eique prologum à se
 compositum præfixit, quæ omnia Archiepiscopo & duobus Episcopis
 transmisit. Verba pro concione quadam vice de more faciente armiger
 quidam instar furiosi in has desperationis prorupit voces: *Si anima mea
 cæli sedibus non potietur, viuat more bestiarum terreno pabulo & presentibus ob-
 lectamentis contenta.* Quo audito B. Matthias & inepta garrientem teme-
 ritatis arguit, & in arrepto proposito contentius perstitit, populumque
 euidenter docuit animas beatorum à peccatorum reliquijs expurgatas
 clarè frui conspectu Dei. Miles autem temeritatis impietatisque suæ iu-
 stas dedit pœnas. Nam cum salutare monitum nauici faceret quarto post
 die nihilo mollior aut melior factus, mortuus est & sepultus, continuis
 aliquot noctibus auditus est ingeminare; Væ, Væ, ardeo, ardeo, donec
 vocibus importune vexatorum vxor monita sepulchrum eius aperuit vt
 alio forte corpus trāsferret, in quo præter calceos & panniculos quibus
 cadauer inuolutum fuerat nihil inuenit, Matthias vero laboribus, vigi-
 lijs ieiunijsque attritus mirabili quodam feruore animi in omni perfe-
 ctione & vitæ sanctitate vsq; ad extremū diem incescit. Obijt Stockhol-
 miæ in Suecia anno incarnati Verbi Millesimo trecentesimo quinquage-
 simo, quo tempore D. Brigitta Romæ consistens orando audiuit in spi-
 ritu vocem in hunc sensum dicentem *O felix Magister Matthia pro corona
 que tibi in cælis preparata est: Sapientie flagrabas desiderio, nunc cum sapientia
 que nunquam exhaurietur feliciter versaberis.* Illud hic relatu dignum quod
 constanti fama posterius memorant. Quotquot imperio Regis Gustau
 (qui primus Quintum Lutheri Euangelium seductus admisit) adiun-
 ctum Cœnobio Dominicanorum templum vbi D. Matthiæ ossa quies-
 cebant, demoliri sunt aggressi, vel graui morbo vel repentino casu erant
 oppressi.

De eo lib. 1. reuel. D. Brig. c. 3. & 25. lib. 5. interrogacione 16. in responsione questionis 1. lib. 6. c. 25. 89. & 90. extran. c. 61. & 63.

PETRVS